



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Vita S. Noitbvrgis Virginis: Ex ea quæ est apud V. P. Laurent. Surium.
Floruit sacra virgo anno Christi plus minus septingentesimo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42787

excellentem vitæ integritatem reduxit, ut nihil à summæ perfectionis monachis distare viderentur.

*Benignitatis
eius studiū
in pauperes
præcipuum.*

Cæterum ipse in quotidiana vitæ suæ consuetudine ne latum quidem vnguem à monastica severitate recedens, præcipuo quodam studio mendicos & inopes fouebat, prudenter cunctos & exemplo & doctrina admonens, illa piacula omnium sanctissima esse, quæ hominum charitate & benevolentia continentur.

*Obitus eius
miraculis
celebris.*

Itaque post multa pietatis & iustitiæ opera, miraculis pariter & virtutibus etiam post obitum clarus, è corpore in cælos pridie Kalend. Nouembris migravit. Funus verò fuit ingenti omnium luctu in Cœnobium S. Emmerammi, quem præcipuo in vita honore habuerat, illatum: ibidemque post Missarum solennia & exequiarum officia ritè peracta, præclare atque honorificè tumulatum.

VITA S. NOITBYRGIS VIRGINIS:

Ex ea quæ est apud V. P. Laurent. Surium.

Floruit sacra virgo anno Christi plus minus septingentesimo.

31. Octob.

*Vide de ea
Tom 8 An-
nal. C. Baro.
anno Domi-
ni 714.
Plectrudis
Pipini vxor,*

PIPINVS Ansigi Ducis filius apud Francorum gentem equitū magister, siue Maior domus, ducta in matrimonium nobilissima scemina a Plectrude duos ex ea suscepit filios Drogonem & Grimoaldum; quorum prior Campanorum Dux, alter regis aulæ præfectus fuit. Cum autem animum ad Alpaidem pellicem adiecisset Pipinus, Plectrudis legitima eius coniunx cum multis opibus Co-

loniam

Ioniam Agrippinam se contulit : vbi constructo in honorem sanctissimæ Dei genitricis, insigni virginum monasterio, cum nepte, sua Noirburge piè deinceps & religiosè vitam instituit. Cumque neptem suam sanctissimis disciplinis imbueret, & in virginitatis proposito ad vltimum vitæ spiritum retinendo educaret, filij eius Drogo & Grimoaldus, ad ineunda matrimonij fœdera puellam allexerunt; impulsissentque, nisi morte præuenti eam curam cognatis reliquissent. Itaque illis è vita sublatis, cognati pari pertinacia virginis animum tentare. Illa verò mortales sponfos planè fastidians, totam se ad deprecandum Dominum contulit : orans obtestansque ut prius ipsam è vita tolleret, quàm vim à cognatis perpeti sineret. Magna sanè & eximia in tam delicata & nobili puella virtus; ut florente ætate, Christo immortalis sponso, cuius ardebat amore, regnum mundi & cuncta vitæ oblectamenta longè posthaberet : malecque iucundam abrumpere lucem, quàm spirituum suum vel leui etiam peccati nubecula obscurare.

*fundatrix B.
Mariae apud
Coloniam
Agrippinam.*

*S. Noirbur-
gis recusat
constanter
nuptias.*

Nec deprecanti defuit Christus; sed incontaminatam eius animam ex huius vitæ laboribus & angustijs in suum regnum celeriter euocauit: & defunctæ corpusculum insigni miraculo, duobus videlicet luminaribus, altero ad caput, altero ad pedes eius diuinitus collocatis, cohonestauit. Ad tam diuinum & inusitatum miraculum cum ingens populi multitudo cõfueret, & ciues Colonienfes sacrum virginis corpus vigilijs & precibus honorarent,

*Imperat à
Deo salutem
obitum.*

*Insigne mi-
raculum.*

Bb 4 acci

*Item aliud
illustre.*

Psalm 67.

*Claret mira-
culis post
obitum*

*Transfertur
corpus eius
in Carthu-
siam, Con-
fluentiam.*

accidit fanè res admiratione dignissima. Cùm enim inter sacri funeris exequias alterius defuncti cadauer in templum inferretur, & iuxta virginis feretrū deponeretur, mox defunctus ad viram redijt : palàm affirmans se sanctæ Noitburgis meritis precibus à mortuis excitatum. Quæ res non immeritò summæ omnibus admirationi fuit, coegitque certatim oēs præpotentē Deum debitis celebrare laudibus, qui est mirabilis in sanctis suis. Peractis autem exequijs & corpore coram summo altari in beati Petri Ecclesia humato, nomen eius, crebrescentibus ad tumulum miraculis, adeò celebre effectum est, vt Ecclesia illa à sancta Noitburge vocabulum acciperet. Fuit verò postea virgineum eius corpus in Confluentinam translatum Carthusiam; vbi hodieque reuerenter asseruatur in laudem & gloriam Christi sponsi virginum & Virginis filij; qui cum patre & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula benedictus: Amen.

(:)

NOVEM.